



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Post confirmationem quae agenda sunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

eij vsu: alter, qui alteram peluim habeat mantilis madefaciendi causa, ad frontes abluendas.

Alius item præter hos adhibebitur: cuius cura erit, confirmatos in ordine continere, dareq; operam, vt ne quisquã inde discedat, nisi cunctis qui in ordine sunt, confirmatis. Quos vbi confirmatos viderit, inde ad certum locum, cappellamve deducat, vbi litanijs, alijsq; orationibus sanctè precentur, quoad Archiepiscopus precibus ritè peractis omnes solenni benedictione dimiserit.

Idem de fœminis confirmatis exequetur, illas etiam deducendo ad certum locum à maribus separatam, vbi itidem orent.

Sacerdos præterea pressio erit, qui prot Parochiarum ordo postulat, in Ecclesiam introducet eos, qui confirmandi sunt. Proinde ex schedula quam in manu habebit, ordine Parochiarum fideles ad Cõfirmationem euocabit: singulisq; parochijs locum constituet, viris quidem distinctum à fœminis.

Quo in officio ita aget, vt in tempore introducat, ne ministratiõni mora interponatur.

Acoluthi præterea aderunt duo, qui Archiepiscopo ministranti cereos accensos duos præferet: ostiarij duo, pluresve, qui ianuas custodient, vt ad confirmationem vocati ordine ingrediantur.

In Confirmatione hæc vt infra, seruabuntur.

P R I M V M in Ecclesiam introducti qui confirmandi sunt, mares vt dictum est, à parte australi, fœminæ à septentrionali manebunt.

Genibus item flexis, manibus ante pedes iunctis orabunt.

Omnes præterea alij, quicumque sacro illi ministerio adsunt, silentio sancto vtentur, sancteq; precabuntur.

Summa animi attentione spectabunt solennis mysterij celebritatem.

Mente secum reputabunt illa spiritus sancti dona, quæ sacramenti huius virtute fidelibus impartiantur.

Tacita etiam meditatione videbunt, quantoperè ipsis ijs donis indigeant.

Accersiti autem primò mares, deinde

fœminæ cum suis quique patrinis, matrinisve, graui incessu, non turbulento, & celeri præpropere gressu, manibus iunctis ad Confirmationem accedent: locoq; & ordine ad præscriptum monitorij consistent.

Archiepiscopus cum propius ad confirmandum accedet, ordine quisq; sinistrum pedem, vt supradictum est, supra dextrum patrinum, aut si fœmina est, matrinæ ponet, manibus deuotè iunctis. Quo in statu permanebit, quoad frons abluta, absterfasq; erit. Nemo autem frontem sacro Chrismate illitam attingat, ne Crucis quidem causa, nisi prius ablutam, atque absterfam. Inde postea omnes simul ordine ad constitutum locum venient, vbi sanctè precentur vt supra dictum est, vsque ad solennem Archiepiscopi benedictionem.

Post confirmationem quæ agenda sunt.

I M P E R T I T A confirmatis solenni benedictione, vnusquisque Parochus curet Parochiales suos reducere ad Ecclesiam suam, ordine quo venerunt: vbi hæc moneat.

Vt recens confirmati, ob sacramenti reuerentiam eo saltem die à frontis lotionè abstineant.

Vt pro pietatis studio orationem Dominicam, salutationem Angelicam, & Symbolum, singulis septem diebus septies, qui literarum rudes sunt recitent; officium autem de Spiritu sancto septies itidem qui legere norint: memores septem cœlestium donorum, quæ illius sacramenti virtute acceperunt.

Vtq; solliciti sint in ijs religiosè conseruandis.

Vt anniuersarium statum illum diem, quo confirmati sunt, religiosius singuli pietatis officijs, & precibus colant: confessiq; sacram Eucharistiam sumant, vt benignissimo Deo gratias agant de donis acceptis.

Eum confirmationis suæ diem ob eam causam certo libro adulti notet: itidemq; faciant parentes eorum, qui pueri confirmati sunt.

Cognitionem quoq; spiritualem denuntiabit quæ contracta est inter confirmatum, parentes eius, & patrinum.

Denique ad præscriptam formulam refert in librum quem paratum habebit, nomina & confirmatorum, & patrino- rum, matrinarumve.

D E S A C R A M E N T O
Sanctissimæ Eucharistiæ.

Rubricæ, seu instructiones.

Quæ Parochus populum doceat.

Nihil habet Ecclesia hoc sacramen- to dignius, nihil admirabilius, ni- hil salubrius, nihil sanctius. Continetur enim in eo præcipuum & maximum Dei donum, & ipse omnis gratiæ, & sancti- tatis fons, auctoriq; Christus Dominus.

Parochus igitur ut populum sibi com- missum idoneum reddat ad maximos uberrimosq; huius sacramenti fructus percipiendos; singulis diebus festis, qui scilicet frequentem illius communio- nem proximè antecedent, atque adeo sæpius prout opportunum viderit, illum accurata, piq; concione docebit, plane- que explicabit fidem, doctrinam, excel- lentiamq; huius præstantissimi sacramé- ti; quo item modo ad illud sumendum accedant; quàm admirabiles itidem il- lius fructus sint, quanta vis, ac dignitas: & denique ubi sumpserit, quo modo gra- tiam conferuent.

Ioan. 7.

Hos autè fructus enumerare poterit. Gratiam in animam influit, cum purè, & sanctè sumitur: Qui manducat, inquit Dominus, meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Qui enim pietatis, & religionis stu- dio affecti hoc sacramentum sumunt, Christi corpori tanquam viua mem- bra inferuntur, si quidem scriptum est: Qui manducat me, & ipse viuet pro- pter me.

Ibidem.

Animam alit, atque sustentat: quosque vsus corpori panis & vinum adfert, eos omnes animæ saluti, & iucunditati, ac meliori quidem ac perfectiori ratione, Eucharistiæ sacramentum præbet. Vires animæ addit, efficitq; ut spiritus diuinarum rerum delectatione magis commoueatur, virtutibus augeatur, ac di- uinè corroboretur.

Venialia peccata hoc etiam sacramen- to remittuntur: ut meritò dicat Sanctus Ambrosius, panem hunc quotidianum sumi in remedium quotidianæ infir- mitatis.

Viros præbet, ut à criminibus fideles puros & integros, atque a tentationum impetu incolumes se conferuent. Ac præ- terea tanquam cœlesti medicamento animam preparat, nè alicuius mortite- re perturbationis veneno facillè infici, & corrumpi queat.

Concupiscentiæ ardorem debilitat, dum charitatis igne animos fidelium vehe- menter inflammat.

Postremò ut vno verbo dicatur; sum- mam vim habet ad æternam gloriam cõ- parandam. eius videlicet gratia, dum hanc vitam fideles degunt, conscientie pace & tranquillitate perfruuntur: de- inde eius virtute recreati, non secus atq; Elias, qui subiciueritij panis for- titudine ambulauit vsq; ad montem Dei Oreb, cum ex vita emigrandi tempus aduenit ad æternam gloriam & beatitu- dinem ascendunt.

3 Reg. 19.

De frequenti sacræ communionis vsu

AD saluberrimū igitur huius sacra- menti frequenter sumendi vsum Parochus fideles cohortabitur, atque ex- citabit, nascentis Ecclesiæ institutis, ac exemplis, & sanctorum patrum omni- consentientè doctrina, ut ex Catechis- mo Romano discere poterit; & sententia œcumenicæ Synodi Tridentinæ: que optaret quidem, fideles in singulis Mis- sis non solum spiritali affectu, sed sa- cramentali etiam Eucharistiæ percep- tione communicare. curabit certè, ut præter Paschatis communionem, quæ Ecclesiæ præcepto necessaria est; saltem in præcipuis solennitatibus, veluti die Natali Domini, Epiphania, Pêtecostes; in diebus item festis maioribus Beate Mariæ Virginis communicent.

Seff. 13. de b. c. 6.

Crebris præterea monitis, illud quod beatissimus Siluerius Pontifex statuit, in consuetudinem reuocare studebit; ut qui sæpius non communicant, in quadra- gesima saltem Dominicis diebus corpus

Domini-